



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

Capvt VIII. Quanta multis diuitiæ sint occasio æternæ damnationis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Auri namq̄, famos parto conquiritur auro.

*Igitur de hoc triente vinum comparat, admixtisq̄, aquis, iterum per argenteos venundans duplat pecuniam. Hoc iterum atque iterum agit, & tam diu turpis lucri secutor est factus, usquequo centum solidos de hoc triente lucraretur. Sed iudicium Dei confutauit lucra diaboli. Congrens enim auarus negotiator aurum in sacculum, possessurus pecuniam, vnius hora momento, alterius negotiatoris nundinas adit. Extractoq̄, triente, quasi aliquid negotiaturus, colloqui cum socio cepit. Erat autem sacculus ex pelle Phœnicæ, sicut his manu gestare mos est: & ecce subito adueniens miluus rapit eum pedibus atq̄, discerpere tentat, putans à colore partem aliquam carnis esse. Sed cum nihil pinguedinis sentiret in eo, euolans super alueum Araris, de quo hic aqua hauriens vino miscuerat, laxatum sacculi deiecit in flumen. At ille, apprehensis capillis, elidens se ad terram, spargensq̄, puluerem super caput aiebat: *Va mihi, qui iudicio Dei oppressus perdidit pecuniam, qua iniquè fuerat aggregata. Nam ex uno triente centum erexi solidos. Nunc perditis centum solidis, vnus tantum mihi remansit triens. Va mihi, sicut feci, sic recepi: & qui nihilo eos habuit, ad nihilum rediisse conspicio. Talis pecunia, diabole, tua est, per tale lucrum deduxisti Deo inobedientes in Tartarum. Tale enim commercium & in presenti damni notam ingerit, & in futuro diuersarum pœnarum genera parit. Vides lector, 1. quò ducat lucra cupiditas? 2. quas fraudes comminiscatur? 3. quas artes doceat cauponantem? 4. Quàm citò malè parta, malè dilabantur? 5. Sed & quanta benignitate Deus iniusta lucra auferat? iustum trientem solùm relinquat? 6. Quàm vtile sit iudicia Dei agnoscere, atque æquo animo ferre? 7. Denique infamiae notam, & Tartari pœnam, quæ sequitur eos, qui malis artibus volunt diuites fieri: illi enim *incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, qui irritos trahit in exitium sempiternum.***

3. Tim. 6. 9.

C A P V T VIII.

Quanta multis diuitia sint occasio aterna damnationis?

1.

EA est improborum cæcitas & peruersitas, vt vitia non æstiment, quorum tamen vel sola nos deterrere deberet turpitudine. Apposuit ergo Deus vitij supplicia, quorum metu non solùm vitia vitaremus, sed etiam periculis vitiorum libenter ca-

ser ca

ter careremus, atque beneficij loco acciperemus, si ipse laqueos nobis subduceret, nosque vel bello, vel quocumque casu, spoliatos veller carere ijs rebus, quibus habitis perditum iremus. Tales res diuitias esse, satis commonstrauimus huc vsque, in ipsis vicijs, quæ vel sunt proles, vel matres pecuniarum. Sed id ipsum nunc videamus elarius in testimonijs exemplisq;. Neque enim sine causa Redemptor noster dixit: *Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum calorum.* Si quis pater filio diceret, nisi nuces reliqueris, & crepundia abieceris, difficile regnum Poloniae, Galliae, Hispaniae consequeris; quam vecors puer esset, qui nuces nollet deserre, aut crepundia magis, quam regnum adamaret? At Christus amantissimus nostri pater ait: *Diues difficile intrabit in regnum calorum,* & tam multi adhuc sunt, qui diuitijs adherent, neque formidant hanc difficultatem regni non terreni, & fortè cras amittendi, sed caelestis atque aeterni obtinendi? Quæ difficultas, ne parua videatur, addit Seruator ibidem: *Iterum dico vobis, facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum calorum.* Quæ sententia aded Apostolos perculit, vt dicerent: *Quis ergo poterit saluus esse?* Quibus responsum datum diuites quidem à desperatione liberat, sapientes autem, velut digito intento, ducit, vt periculi magnitudinem magis apprehendant. Ait enim: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt;* quasi dicat, omnipotentia, & infinita Dei pietas ad hoc exigitur, vt diues aliquis saluus fiat; est enim quasi prodigium quoddam & miraculum ingens, diuitijs circumdatum & oneratum ad caelum, ascendere; cum vel vacuo graue sit, per tam arduum cliuum emergere.

Hoc nomen Plutonis & Pluti, quod, teste Platone & Cicero-
ne, apud Græcos diuitias significat, velut affinitate quadam con-
iunctum, indicat. Voluerunt enim veteres significare, diuitias, &
inferos magnam inter sese habere societatem. Vt enim parùm di-
stant, Plutus & Pluto; ita non multùm inter se dissident, diuitiæ &
inferorum flammæ. Quod vt innueret vel ipsa natura, aurum at-
que argentum, & omnes in ima terræ viscera abstruxit, vt etiam
originis situ inferno vicinum esset, neque erui posset, nisi ab ijs,
qui in profundum descenderent. Quod mirum est, mortales tantis

M 2

labori-

Matth. 19. 23.

lb. v. 24.

II.

Plato in Cra-
tulo, Cic. lib.
2. de Nat.
Deor.

Phocius Cod.
250. c. 11. Ter-
tullian. l. de
habitu mu-
lier. c. 5. Cy-
prian. ep. 25
77. & 80. Bel-
lon. l. obser-
uat. c. 50. 51.
52 à Costa 4.
histor. c. 4.
S. Chrysoft.
hom 23. in 1.
ad Corinth.

laboribus factitare. Nimirum teterrima est seruitus auarorum, neque dissimilis ijs, qui captiui sunt, aut ad metalla damnati, de quorum misera conditione Agatarchides apud Photium, Tertullianus, Cyprianus, itemque ex recentioribus Bellonius, & à Costa; Sed omnium appositissimè D. Chrysoftomus in hunc modum describit. *Auaritia suos amatores, quam qui metalla effodiunt, nulla meliori conditione esse permittit. Vt enim illi perpetuò in tenebris inclusi & ligati maximis exercentur laboribus: ita & hi in auaritia speluncis defossi, nulla necessitate & vi, sponte sua supplicium subeunt, & seipsos insolubilibus vinculis alligant. At rei illi, vesperi saltem, laboribus relaxantur. Hi autem diu noctuq; huiusmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem mensura definita est laboris: hi verò nullam mensuram norunt, sed quanto magis effodiunt, tanto magis miseriam illam desiderant. Quòd si illi iuuati operantur, hi sponte; difficultatem mihi morbi enarras, à quo minimè liberari possunt. Siquidem non odio habent, quòd malo afficiantur, sed tamquam sus in cæno, ita hi in auaritia sordibus inuoluti latantur, grauiora patientes, quam rei illi. Quòd enim peiore sunt conditione, audi eorum vitam, & hoc pacto intelliges. Dicitur ergo aurea illa terra, hiatus, scissuras, & caernas in opacis speluncis habere, & malum aliquem virum illic laboribus damnatum, & propterea lucernam & bidentem accipere, ita intus ingredi, & guttum secum ferre, ut lucerna oleum instillet, eò quòd illic tenebrae sunt, & in die obscuritas, ut diximus. Inde cum tempus miseris ad cibum vocat, quòd ipsi ignorant, sed carceris illius custos è loco superiore vehementer speluncam pulsant: ob pulsam & vocem, manifestum fieri miseris, in caernis laborantibus, diei finem adesse. Nonnè horum auditu perterremini? Iam videamus, an his grauiora patiantur auari. Etenim hi grauiorem habent carceris sui custodem auaritiam: & tantò grauiorem, quanto cum corpore animam quoque colligat. Et tenebrae haec illis longè horridiores. Quippe quae insensibiles sunt, sed intrinsecus generantur, & quocumq; abeunt, secum deferunt. Cacatus namq; est eius anima oculus. Omnium maximè eos Deus miseria afficit, dicens: Si autem lux in te tenebrae sunt, quanta sunt tenebrae? Et illi quidem saltem lucernam habent ardentem; hi autem eo priuantur lumine. Quamobrem singulis diebus in innumeras caernas decidunt. Et rei illi praeterea, nocte aduentante respirant, in communi infelicitum tranquillitate nauigantes, Tranquillitatem no-*

Etem

Item appello. Auaris autem hunc auaritia portum obstruit. Tantam
 & tam difficilem curam, in hac nocte habent, ut puta quos nihil pertur-
 bat, sed in summo otio seipfos affligunt. Huc vsq; D. Chryostomus vi-
 tam auarorū describens similem ijs, qui ad metalla damnati sunt;
 immò ijs, qui meritò dicere possunt: *Repleta est malis anima mea:*
 & *vita mea inferno appropinquauit.* Quin & Seneca ait: *Ipsos opifices*
intuere, per quorum manus sterile terra genus & informe perpurgatur:
Videbis, quanta fuligine oblinantur. Atqui ista magis inquinant ani-
mos, quàm corpora, & in possessore eorum, quàm in artifice, plus est sor-
dium. Ita de ijs, qui metalla fodiunt, & multò magis de ijs, qui
 metalla diligunt, Seneca.

Pfal. 87. 4.
 Senec. ep. 94.

Quemadmodum igitur fossores auri, nocte, dieque in tene-
 bris laborant, & miseram vitam degunt, sordidi atque inquinati,
 Plutoni æquè, ac Pluto vicini, ita diuites auari non procul absunt
 à tenebris exterioribus, ad quas citò ab his mentis tenebris transe-
 unt, cæcitate, eos in summa pericula & scelera inducente. Talem
 se ad metalla damnatum fuisse ostendit Reginherus, Misniæ in-
 Germania Episcopus, cuius horrenda mors extitit. Hic pecuniæ
 maiorem curam gesserat, quàm Ecclesiæ; atq; in eodem cubiculo
 thesauros suos infoderat, in quo somnū solitus erat capere. Ali-
 quando igitur, cum absoluto prandio à mensa surgeret, in cubile
 illud concessit, quasi cibo meridiationem additurus. Sed non sine-
 bat eum pecunia quiescere: immò æs corrasum ferreum illi somnū
 conciliauit. Solito diutiùs famulis intus morari videbatur. Ex-
 pectabant tamen vsque ad multam vesperam. Et ferè iam tempus
 cœnæ erat, cum somni prolixitatem mirati familiares, ianuam di-
 gito primùm, tum etiam pugno percusserunt. Et quia arctè op-
 pessulatæ fores aditum non dabant, neque vllum ille audientis sig-
 num redderet, malleis seras effregerunt. Ibi tremendum se exhi-
 buit spectaculum. Namque episcopus, fractis miserandum in mo-
 dum cervicibus, exanimatus, atro colore, aspectuq; terribili the-
 sauris suis incubans repertus est.

III.
 Matth. 8. 12.
 Lambertus
 Schafnabur.
 & Baron. to.
 11. An. 1066.

Fateor, non omnes diuites tali morte puniri; sed mortem
 alteram, inter opes, euadere, æquè difficile est, immò difficilius,
 quàm camelum per foramen acus transire; aut in aquis non vui-
 dum, in flammis non atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt

IV.

Israëlitæ, ad terram promissionis, per mare rubrum, tendentes. Ingens enim tunc prodigium accidit. Diuisi sunt fluctus; & diuisi à vento prodigiosè. Steterunt enim vtrimque fluidæ vndæ, muri, immò montis instar erectæ, & siccum, in medio aquarum, se se detexit vadum, per quod tot populorum turbæ transierunt. Cur diuina sapientia voluit populum suum electum, hoc pacto, ad optatas illas sedes traducere? Cur eum nauibus non imposuit, & transuexit, sicut quondam familiam Noë in arca? Aut si tot caeteris nulla classes sufficissent, cur non effecit, vt omnes, sicut postea Christus & Petrus, vndis solidatis, super aquas graderentur? Nimirum, quia tunc Israëlitæ ambulabant onusti diuitijs Ægyptiorum, quæ illos premebant, & ex natura sua firmum exigebant pavementum. Nec tamen hoc ipsum fiebat sine grandi miraculo, vt aquæ cederent, & se se in altum erigerent, instar ardui ac generosi caballi. Et vulgò inter mira computatur, si quis in profundo maris possit solum inuenire. Terra sancta patriæ celestis fuit figura; ad quam diuites auro & argento onerati, non possunt venire communi modo ac velut nauigando; nec more Christi, aut Petri imitatione, quia hi sine mundi opibus incedebant, Christus enim non habebat, *ubi caput suum reclinaret*; Petrus autem dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Vnde & Christus, & Petrus ab oneribus mundi expediti, ac nulla re grauati, facillè super aquas ambulauerunt. At qui se se oneribus Ægypti grauant, opibusque pressi ad terram aternæ promissionis volunt pertingere, possunt quidem, vt D. Augustinus copiosè ostendit, at tamen egent non vulgari, sed peculiari diuinæ gratiæ auxilio, & misericordia singulari; vt se se illis tot maria periculorum aperiant, per quæ transeant tuti, neque in scopulos impingant, aut fluctibus sæcularium curarum hauriantur. O quot in hoc diuitiarum mare non cum Israëlitis, sed cum Ægyptijs ingrediuntur, & merguntur! Grauant eos annuli in digitis, vniones in auribus, torques in collo, aurum in vestibus, argentum in crumena. Grauant eos agri & fundi, grauant palatia & regna. Cum tot oneribus, ad terram benedictam viuentium, sine grandi miraculo non peruenitur. Ipsi torques sunt compedes, ipsa monilia sunt vincula; atque in his mundi vehementibus aquis, aurum fit plumbum; & quod laqueus est, putatur ornamentum.

E&

Matth. 14. 25.
& 29.

Matth. 8. 20.

Luc. 9. 18.

Matth. 19. 27.

S Augustin.
ep. 89. ad Hilarium.

Est in litteris annuis nostris, An. 1605. Garigaræ, in vice
 prouincia Insularum Philippinarum, fuisse seruum plagipatidam,
 fame & labore consumptum, atq; calamitate ad extrema adactum,
 qui suspendio voluntario statuerit finire ærumnas pariter & vi-
 tam. Utq; compendium mortis haberet, ex proxima arbore fun-
 nem nexum collo iniecit. Erat autem ea ita humilis, vt non esset
 amplius trium cubitorum. Quare, nisi genua flexisset, solum pe-
 dibus attigisset. Et vel sic diuiniùs palpitabat pendens. Quod vbi
 conspexere transeuntium nonnulli, aduolantes laqueum incide-
 runt. Collapsum est humi exanime corpus, & jam ita deforme, vt
 Auernali laruæ, quàm homini similis esset. Nondum tamen pe-
 nitus extinctus erat spiritus, sed laxato guttore cœpit paulatim
 respirare, & ad se redire, præsertim fomentis quibusdam adhibi-
 tis. Die postero, cum iam vires reualuissent, tamen animus adhuc
 peregrinabatur, attonitus enim, & quasi stupens notissimos vix
 agnoscebat. Tandem vbi sensus plenè remigravit, interrogatus,
 cur in eam sese desperationem præcipitasset? respondit auri se
 specie deceptum esse. Venisse enim ad se, quoddam oris fœdissimi
 spectrum, simis naribus, capite obtuso, atq; dixisse: *Accipe, quem
 collo inycias torquem aureum.* Ita pro torque laqueum iniecit sibi,
 & in eo hæsit, quod concupiuit, aurum ratus, quod exitium fuit.
 Multi grauiùs falluntur, quibus verum aurum mutatur in laqueum,
 quo irretitos cacodæmon trahit ad æternam damnationem. *Na-
 buzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis, cum populum
 Dei expugnasset, vicisset, captiuum abduxisset in Babylonem, præ-
 cipuè diuites abduxit, de pauperibus terra reliquit vinitores, & agri-
 colas.* Ad eundem modum humani generis hostis, pauperibus,
 quos Christus, & sua paupertas defendit, relictis, diuites inuadit,
 vinculis innumeris ligat, captosque trahit ad Babylonium Ache-
 runtem. Nimirum, *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem
 & in laqueum diaboli.* Atque vel idcirco dixit Christus. *Va vobis di-
 uitibus.* Quia ergo nemo vult sibi esse vax, necesse est hoc homines
 vel non credere Christo, qui est *veritas*, vel summè amentes esse, si
 adhuc diuitijs inhient, à quibus æternum vax dependet; nisi, velut
 cum prodigio, per laqueos earum, sicut Israëlita olim per mare
 rubrum, educantur.

V.
 In litter. an-
 nuis Soc. Iesu
 Anno 1605.
 Residentiæ
 Garigaræ

4. Reg. 25. 21

1. Tim. 6. 9
 Luc. 6. 24

Com-

VI.

Complures sunt huius periculi causæ. Prima est, quia cum alioqui mortales plerumque beneficijs cificentur & mitescant, & Deus quoque opum largitione homines alliciat, ut ament largitorem; tamen cupiditas & auri possessio, quæ omnibus vitijs viam aperit, dum mentem occupat cæcitate, obliuionem inducit benefactoris. Fiunt ergo diuitiarum auaro in laqueum, quæ esse debebant memosynon Creatoris. Quam autem misera hæc sit felicitas, & quod ducat, ex Axitheo accipe Æneæ Gazæ, cuius hæc sunt verba: *Si scelestus aliquis ditescat ac valeat, id quidem constat esse ex providentia diuina erga nos propensa voluntate, & gratia. Sive enim hoc remedio fiat melior, quemadmodum pueri quibusdam illecebris ad bonarum artium studia inuitari solent: sive conuictus desperata malitia, atque nudato eo quod latebat anima totius ulcere seipsum quam sit intus & in cute malus, prodiderit; flammam ipse sibi parat, multam videlicet materiam cumulans, unde etiam lapsus nullam habebit neque excusationem, neque culpe condonationem. Neque enim potest comminisci, quod propter inopiam egentibus non potuerit succurrere, qui diuitijs abundabat: neque etiam fingere, quod potentia ac viribus destitutus, eos qui premerentur iniurijs neglexerit, qui summus rerum Dominus erat: neque pratexere, quod imbecillitate suapte factum sit, ut voluptatibus succumberet, cui corporis robur alias ad res affuerit. Nam ut omnibus constet, quam multa sit huius iudicis & excellens iustitia; vult ille ipse iudicium suum nec obscurum esse, nec ambiguum: verum sic iudicare, ut reus & poenam sibi irrogatam ferat, & sententiam ab iudice de se laetam suspiciat atque reueatur. Etenim si mors omnium rerum finis ultimus esset; recte in questionem vocarent homines quinam fieret, ut homo scelestus in imperio atque laeta fortuna vitam suam omnem finiret. Iam vero cum immortalis sit anima, ac neque ad Inferos demissa poenam effugiat; sed istuc maxime anteacta vita vindictam sentiat, cum in ima tartara ceciderit, inde numquam est exitura. Quamobrem, insperati lucri vice fuerit, hic egrotare, egerere, seruum esse: cum is, qui illa perfert, in privato vita genere, & parum deliquerit, ac deinceps membrorum suorum compactione iam soluta, iamque eius fortuna sua causa cognita, ac satis deplorata, à supplicijs inferorum liber & immunis euadit. Alius exsecto oculo factus hic exemplum iustitiae; vitij sui, siue perturbationis euentum odio persecutus ac detestatus, liber etiam ipse.*

ipse euadit. Præstat ergo hic pauperem, ægrum, miserum esse, & paruas culpas, paruis pœnis luere; quàm abundare pecunijs, delitijs, voluptate, & sine excusatione, virtutum, pauperum, Dei obliuisci, pœnisq; æternis reseruari, quod factum esse illi, legimus in annuis Societatis nostræ, qui animâ iam sub labijs hærente, nihil à Confessario audire voluit de Deo, nihil de celo, nihil de inferno; sed eo exesse iusso, lancem auro impletam sibi ab vxore voluit apportari, eaque illatâ, manus immerfit, atque inter aureos nummos identidem illas versans dixit: *Tu meum Numen es, tu spes mea; tu mea voluptas, & vita; quidquid aliud deblaterent sacerdotes: à te vno opem expecto.* Post hæc & caput in auro circumuoluens, illudque hinc, & inde deosculans, ac velut idolum suum adorans, animam à Pluto ad Plutõnem transmisit. Sic opes à Deo dispensatæ, benefactori se gratas præstant, quando mentes humanas inebriauerunt.

Citat hæc historiam etiam Philip. D'oulerman in Pædagogico Christiano §. 2.

Altera caussa hinc emergit, quòd, sicut beati sunt misericordes, quoniam misericordiam consequuntur; gerit enim se Deus erga hominem, sicut homo erga proximum se gerit; ita vicissim, immisericordes, qui pauperes non exaudiunt, nec ipsi à Deo exaudiuntur. Faciunt autem diuitiæ immisericordes, quia cum ipsi non sint miseri, nesciunt, quod non sentiunt; hinc plerumque miseris non succurrunt. Quare nec ipsi digni sunt, quibus succurrat Deus. Ideo rogans diues non exauditur in tormentis, ait S. Hieronymus, quia rogantem pauperem non exaudiuit in terris. D. Augustinus epulonis illius damnationem, quodam loco, huic soli caussa ascribit, dum ait: *Quamuis superbus diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, mortuus apud inferos torqueretur: tamen si pauperis vlcerosi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum esset, inopia, non iniustitia, non utique ab Angelis in Abrahamæ gremium, qui diues hic fuerat, tolleretur. Sed ut nobis ostenderetur, nec in isto pauperitatem per se ipsam diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse: sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, ut tamen pius pauperem susceperet sine diuitis.* Damnatu est ergo diues ille, non propter diuitias, sed quia diuitiæ ab illo non sunt adhibitæ ad misericordiam.

VII. Matth. 5. 7.

S. Hieronym. hom. de diuitie. S. Augustin. ep. 89.

N exercen-

exercendam: qua plerumque quò habentur ampliores, eò habentem magis incendunt faciuntque intemperantiùs pecunias sitiientem. Quantò autem magis amantur, tantò ægriùs dispensantur. Hinc fiunt earum possessores minùs liberales, magisq; duri ac im-misericordes, dignique, qui nec ipsi misericordiam consequantur, sed sine misericordia è medio tollantur.

VIII.
Baron. to. 7.
An. 553.

Recitat Raderus noster ex Menais Græcorum, quin & Cardinalis Baronius ex Cedreno luculentum exemplum, de viro copioso, qui an. 27. Iustiniani Imperatoris, Constantinopoli graui morbo afflictatus mortem cernebat nulla humana vi posse euitari: confugit ergo ad diuinam, & iussit triginta libras argenti in subsidium pauperum distribui. Faciliùs nimirum pecuniam erogauit, quam cum vita mox amittendam alioqui censuit. Sed vel sic miserentis misertus est Deus. Nam præter omnium spem illi vitam restituit, & valetudinem prolongauit. Multùm refert quò quid animo faciamus. Quidquid fit libero Dei amore, constanter fit. Quod autem fit amore creature, mutata creatura, facile mutatur. Quare & iste diues, valetudine recuperata, & morbo pulso, suggestione Acherontica, cœpit mutare suam voluntatem, cuius eum subijt pœnitudo. Nam & pecuniam suam optauit recuperare, quasi Deum fallere potuisset. Neque tales cogitationes in corde eius pressæ manserunt. Habebat amicum fidelem, cui sua arena solebat patefacere. Huic cum genuit narrat, se quidem conualuisse, sed interim triginta auri libras sibi periisse, quæ utiq; seruari potuissent, jamq; in magnos vsus seruirent. Audijt hanc querelam amicus, & expalluit: utq; erat rerum diuinarum peritus, illum seriò commonuit, mali spiritus hanc esse technam, cogitationem istam ex animo, velut ignem è manu, eijciendam; ne diuina misericordia in iram conuersa, sanitatem, quam reddidit, denuò auferat; & ut liberaliter misericordem sanauit, ita datum retractantem rursus verberet. Non cæcum modò, sed etiam ad pia monita surdum fecerat Plutus. Nihil igitur motus in consilio perflit, immò magis magisq; cupiditate argenti recipiendi inflammatus, altùm ingemuit. Quod ubi vidit amicus, eum, ne animum desponderet, aut se suspenderet, talibus verbis affatus est. Oportebat quidem, ô bone, te consilium meum non respuere, ac seriò cogitare,

cogitare, nihil amitti, quod pauperibus datur, Christo dicente, *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis;* & utique præstantior est corporis sanitas, quam pecuniæ, quibus ægroto non licet frui; quæq; sæpe sine fructu medicis expenduntur. Verùm quia sana consilia apud te locum non habent, est aliud, quod ægritudini tuæ curandæ offeram, si fortè illud placet. Auarus cum animaduerneret, nummi spem refulgere, iubet eum consilia promere. Tum alter non minus pius, quam sacra doctus: Quando igitur ita es constitutus, inquit, & te largitatis in pauperes poenitet, age ad templum mecum redi; totam quantam summam expendisti, tibi numerabo, si Christo professus fueris, non te, sed me argentum istud in pauperes effudisse. Accipit conditionem miserè latus ille. Adeunt ambo templum, annumeratur pecunia, pronuntiatur formula, & meritum ab auaro ad liberalem transfertur. O cæcam auaritiam! quàm non videt in lucro suo damnum! Vix iste argentum receperat, & illico cum valetudine vitam amisit. Nam è templo egrediens, sub ipso limine, repentina morte extinctus est. Ita pecuniam pariter atque animam suam perdidit. Cur perdidit? quia liberalitatem suam retractauit. Usque adeò non solum auaritia impedit homines, ne sint liberales, sed etiam hominibus poenitentiam iniicit, si liberales extiterunt.

Matth. 25. 40.

Et quærimus adhuc, cur diuites difficulter intrent in regnum cælorum? diuitiæ amatae ægrè separari se sinunt à suis amatoribus; hinc faciunt illiberales; hinc efficiunt immisericordes; hinc gignunt crudelitatem, quæ miseris non succurrit; hinc merentur diuitiarum amatores, ut neque erga ipsos Deus sit liberalis, sed eos in vita sua, bona sua recipere sinat; in altera, quid futurum sit, dudum prædixit: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis;* nulla misericordia tetigit vos, neq; Deus tunc miserebitur vestri. Si cetera vobis omnia delicta desint, sufficit, misericordiam non exercuisse. *Nam & ille diues, ait S. Augustinus, ante cuius ianuam iscebat pauperrimus ulcerosus, non est dictus, raptor rerum alienarum. Erat quidam diues, inquit, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Diues, inquit, erat, non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum raptor, aut delator, aut receptor: non dixit, pupillorum spoliator: non dixit, viduarum persecutor. Nihil horum,*

IX.

Matth. 7. 2.

S. Augustinus, serm. 19. de verbis Apostoli Luc. 16.



horum, sed, erat quidem diues. Quid magnum est? diues erat, de suo diues erat. Cui aliquid tulerat? an forte illi auferret, & Dominus de illo reticeret, & personam eius acciperet, si crimina eius absconderet, qui nobis dicit: Nolite personaliter iudicare? Si vis ergo audire crimen diuitis illius, noli amplius quarere, quam audis à veritate. Diues erat, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Quod ergo eius crimen? Iacens ante ianuam ulcerosus, & non aditus. Hoc enim aperte de illo dictum est, quod immisericors erat. Numquid enim, charissimi, si pauper ille ante ianuam iacens sufficientem panem à diuite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis, qua cadebant de mensa diuitis? Propter hanc solam inhumanitatem, qua contemnebat pauperem ante ianuam suam iacentem, nec congrue dignèq; pascebat, mortuus est, & sepultus est. Et cum apud inferos in tormentis esset, leuauit oculos suos, & vidit pauperem in sinu Abrahe. Et quid multis immorer? Desiderauit guttam, qui non dedit micam. Nonne accepit iustam sententiam, qui non dedit crudeli auaritia? Si hæc ergo pœna est auarorum, quæ pœna raptorum?

X.

Tertia causa ab eodem epulone diuite trahitur. Nam et si diuitiæ neque peccata sunt, neque culpabiles, vt rectè docuit Augustinus, neque prosperitas crimen haberi potest, cum à Deo sit, tamen inter diuitis illius elogia damnationis, ab Abrahamo etiam illud profertur, quia recepit bona in vita sua. Quapropter D. Basilius in hæc verba exclamat: *Timeo exemplum diuitis. illum delicta vite igni tradiderunt, non ob iniustitiam.* Verum est, immisericors fuit, sed non hæc sola causa indicatur supplicij. Opulentia illi etiam, & festiuus fortunæ vsus, & fauor auri, & splendor purpuræ, & apparatus epularum, denique magnæ annonæ voluptatis obijcitur. Hæc enim sunt, quæ Lazaro defuerunt, & diuiti illi superfuerunt, quæq; ille, si quid fortasse bene meruit, pro meritis suis in hac vita recepit. Quin hoc elogium damnationis, etiam Christus ipse non dissimulauit: *Va vobis diuitibus, inquit, quia habetis consolationem vestram; va vobis, qui saturati estis; va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis.* Quid ita? an non ille diuitias condidit? an non epulas creauit? an purpuram non fecit? Aut fortasse peccatum est, habere, quod supremus rerum Dominus donauit? Nequaquam. Sed delictum est, possidere, quod alijs erat distri-

S. Basilius, hom.
3. de ieiun.

Luc. 6.

distribuendum; sacrilegium est, ad Dei ignominiam usurpare; quod ad illius honorem & gloriam erat usurpandum. Quamquam etiam copia rerū scelus non sit, tamen ut suprā docui, ea vel fundamentum, vel ædificium est scelerum ac vitiorum. Compendium est vituperationis, fortunatum dici, & simul non etiam misericordem, beneficum, liberalem, patrem pauperum, sobrium, iustum, & munificum esse: quia titulus opulentia, sine virtute, est omnium criminum index, & procurator voluptatis. Quid porro voluptas pariat, ex illa sententia discitur: *Quantum glorificauit se, Apoc. 18. 7 & in delictis fuit; tantum date illi tormentum & luctum.*

Quarta causa, quia uti iustitia cælo digna est, ita iniquitas inferno. *Mand' astabo tibi, & videbo*, ait Propheta. Quid videbis, d' Videns? *quoniam non Deus volens iniquitatem tuas. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* At, iuxta commune adagium, diues plerumq; aut iniustus, aut iniusti hæres est. Quid ergo mirum, si diuitiæ dicantur esse magna occasio aternæ damnationis? cū & ab Ethnicis irritamenta malorum appellentur? & Iacobus Apostolus dicat: *Agite nunc diuites, Iac. 5. 1. plorate ululantes in miseris vestris, qua aduenient vobis. Diuitia vestra putrefacta sunt; & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum aruginauit, & arugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Theaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.* Quam veritatem D. Gregorius hoc luculento exemplo confirmat. Femina ex illis vna, quibus dictum est à Poëta:

Sed facile est vobis verba & componere fraudes,

prætextu pietatis, multos deceperat, qui vultui, & gestui, & sermonis tractui crediderunt. Utq; simulationi sacris peregrinationibus conciliaret autoritatem, terram Palæstinam, quam Deus homo, suis natalibus, suoq; sepulchro insignem fegerat, visitare solitabat. Hoc iter illi occasio pecuniæ lucranda fuit. Nam multam peculij summam illi Christiani ubiq; contribuerunt, qua captiuos redimeret, egentesque sustentaret; quam illa interuertit. Neque enim eam in terram sanctam pertulit, sed clam domi in suos olim vsus sub terra defossam occultauit. Rarò profunt iniquè acquisita, Quare neque mulierem hanc sua furta iuuerunt. Di-

XI.

Psal. 5. 6.

Iac. 5. 1.

S. Gregor.
Turon. lib. 8
de glor. mar-
tyr. c. 106.

uina enim Nemesis illi vitæ filum incidit, vt constaret, etiam in femina fieri, quod dicitur: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Quippe illi pecuniam, illis Deus vitam aufert. Ita sæpe homo thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. Defuncta hac strige, mandato Episcopi in pecuniam inquisitum est: & filia illi superstes interrogata. Sed nihil ex eâ potuit intelligi, clam enim mater omnia domi infoderat, neque filia fidebat, ne ab ætate & sexu secreta impatiente proderetur. Per totam igitur domum, atque in omnibus angulis circumierunt scrutatores, tandemque repertus est tumulatus altè thesaurus. Neque verò pecuniam eam omnem meliùs potuit impendere sacer Antistes, quàm vt eam, in flagitij detestationem, sepulchro inijceret, & super infame mulieris cadaver iactaret; quasi diceret iam sapiùs vsurpata formula, *Pecunia tua tecum sit in perditionem,* aut, *Theaurizasti tibi iram in nouissimis diebus.* Vtque etiam illud appareret, *Aurum & argentum vestrum manducabit carnes vestras, sicut ignis:* ecce, per tres integros continuosque dies, funestissimum hoc lamentum ex sepulchro clarissimè perceptum est: *Vrit me aurum, vrit me aurum.* Ne autem aures tantùm exhorrescerent, sed vt oculis quoque caperetur miseriarum experimentum, erutà terrâ, metuendum se se aperuit spectaculùm. Quippe liquatum, & candens aurum, lucentis flammæ instar, in os mulieris visum est, tamquam riuus quidam influere, atque non tantùm, veteri illo ritu, quodammodo dicere: *Aurum sitisti, aurum bibe,* sed illud quoque exprimere, quod Psalmista cecinit: *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Similem potum sibi parari existimet, qui similem sitim patitur.

XII.

Quòd si quis paucas esse eiusmodi Megaricas Sphinges arbitretur; illud tamen nouerit, eiusmodi calidum haustum, non tantùm raptoribus infundi, sed etiam opum malè acquiritarum possessoribus. Valde me semper perculit illud, quod D. Hieronymus ex communi hominum opinione scribit: *Illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima: Diues aut iniquus, aut iniqui heres.* Quin & Platonis verba sunt: *Verum est, quod vulgò dicimus, admodum diuites non esse bonos.* Valde etiam multos locupletes viros sollicitos fecit illud summi iudicis pronuntiatum: *Ego sum Dominus Deus spūs: Deus amulator reddens iniquitatem patrum super filios in tertiam & quart-*

Psal. 54. 25.

Psal. 38. 7.

Iac. 5. 3.

Psal. 10. 7.

S Hieron. ep. ad Hedibiam.

Plato lib. 5. de legib.

Deuter. 5. 9.

suis

& quat.

Et quartam generationem, his qui oderunt me. Quidam opulenti, neque vllius sibi sceleris conscij, furtis, rapinis, spoliatione, incendijs, populatione agrorum, & mille quotidie incommodis infortunijsq; vexantur; neque satis dispicere possunt; qua id culpa sint commiseriti. Nimirum vel seri nepotes luunt, quod proauj peccauerunt.

Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obsupuerunt. Noui ego antiquissimi stemmatis familiam, in qua jam multis ab annis, ferè nemo vllus bona morte defunctus est: plerique vel contucidantur, vel miserando casu, ex improviso, pereunt. Audiui sæpius, atque ex compluribus, causam esse, quòd, sub prætextu patrocinijs atque tutelæ, monasteria canibus venaticis onerent, exactationibus, & nescio quibus præscriptionibus exsugant, atque ea varijs titulis excogitatis auferant, quæ maiores ipsorum sanctissima liberalitate illis donauerunt. Hæc siue vera, siue ex odio ficta sint, simile tamen quiddam, post Cardinalem Petrum Damianum, narrat Cardinalis Cæsar Baronius, Anno 1055. de quodam Germania Comite, qui probam alioqui honestamque admodum egisse credebatur vitam. Sed alia mors fuit, quàm fides vulgi. Siquidem post obitum illius Religiosus quispiam fortè pro illo preces ad Deum fundens, conspexit immane quoddam chaos, & horribile barathrum, longè lateque patens, ac metuendæ profunditatis, fumentibus vndiq; atque exundantibus Inferorum flammis plenum. E medijs his incendijs scalæ sursum porrigebantur ignitæ, ad excipiendos omnes, qui ex illius Comitis stirpe nati, per eas descenderent ad tormenta Acherontis perpetienda. In supremo autem, scalarum gradu adhuc Comes ille recens defunctus hærebat. In illis quippe scalis eius familiæ Comites, vita functi, sibi mutuò succedebant; ita vt semper vltimò ex hac vita eiectus primum scalarum gradum occuparet: ille autem qui inibi locum tenerent, alijq; deinceps ordine omnes ad proximum superiori gradum detruderentur. Quàm longè diuersæ hæc erant scalæ ab ijs, quas in somno vidit Iacob! Siquidem vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens calum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scala. His autem scalis, heu qualis Dominus innixus erat? & per eas, ò quàm miseri Angeli descendebant? Nam reuocare gradum superasq; euadere ad auras nulli

Jerem 31. 29.

Baron. Anno 1055. tom. 11.

Gen. 28. 12.

nulli dabatur. Religiosus igitur, qui hæc omnia trepidus videbat, causam scire cupiebat; neque iustus Iudex eam calauit. Clara enim vox audita est: supplicia hæc istis Comitibus decreta esse, ob quamdam Metensis Ecclesiæ possessionem, quam B. Stephano quidam ex Comitibus ataus abstulisset: cui nimirum hic iam decimus, in ea iniusta hereditate, successisset, forsitan ignarus, unde ea haberetur, sed neque inquirens, neque à maioribus ea de re monitus.

Montes. 5, 9.

Itaque; *Deus amulator reddit iniquitatem patrum super filios* non solum in tertiam & quartam, sed etiam vsque in decimam generationem, his qui oderunt illum. O quam merito hic omnes diuites contemiscunt! quam merito metuunt, etiam si ipsi nemini fraudem fecerunt, tamen ne aliquid possideant, quod vel à maioribus suis fuerit acquisitum per fraudem! Quanta sollicitudine deberent inquirere in suorum bonorum origines! quanta diligentia restituere aliena? atque à se excutere, quarum causa vel feri nepotes damnantur? An non beneficium est Dei, carere talibus bonis? ea posse contemnere, abijcere, derestari, quorum possessio ad alios pertinet, vel conflata de sudoribus tot pauperum, vel ipsi Ecclesiæ ablata? Quam longè melior conditio est paupertatis?

XIII.

S. Augustin. de verb. Domini. ser. 24.

Recordamini in Euangelio diuitem illum, & pauperem illum; ait S. Augustinus. Diuitem indutum purpura & bysso, & quotidianis epulis saginatum, pauperem verò illum iacentem ante ianuam diuitis, esuriientem, & de mensa micas requirentem, vlceribus plenum, à cambus linctum. Recordamini ergo. Unde recordamini, nisi quia Christum est in cordibus vestris? dicite mihi, quid ipsum intus interrogaueritis, & responderit vobis? sequitur enim, & dicit: contigit, mori inopem illum, & auferri ab Angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem & diues & sepultus est in infernum. Cum autem in tormentis esses, leuauit oculos, & vidit Lazarum quiescentem in sinu Abrahae. Tunc clamauit, dicens: Pater Abraham, mitte Lazarum, et intingat digitum suum in aqua, & stillet in linguam meam, quia crucior in hac flamma. Superbus temporis, mendicus inferni. Pauper enim ille perueniebat ad micam, ille autem non peruenit ad gustum. De duobus ergo illis dicite mihi, quis est bene mortuus, & quis male mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite. Si enim oculos interrogaueritis, falsa vobis respondent, multum enim splendida sunt, & seculariter fucata, qua illi diuiti morienti exhiberi poterunt.

ruut.

vunt. Qua potuerunt agmina esse plangentium seruorum & ancillarū? qua pompa clientium? quis splendor funeris? quod pretium sepultura? Credo enim ab aromatibus obrutum. Quid ergo dicturi sumus, fratres, bene istum mortuum, an male mortuum? si oculos vestros interrogatis, optimè mortuus est, si magistrum vestrum interiorem requiritis, pessimè mortuus est. Si ergo sic moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes, quomodo moriuntur, qui rapiunt res alienas? Verum ego dixi: uenite, ne moriamini male, ne quomodo diues ille moriamini. Non probat malam mortem, nisi tempus post mortem. E contra attendite illum pauperem, sed nolite oculis, nam errabitis, fides attendat, cor videat. Constituite illum ante oculos vestros iacentem in terra, ulcerosum, venientes canes lingentes ulcera eius. Sed cum talem illum reuocatis ante oculos vestros, continuo expuitis, faciem auertitis, nares obturatis. Cordis oculis videre. Mortuus est, & ablatu est ab Angelis in sinum Abrahae. familia diuitis videbatur plangens, Angeli non videbantur gaudentes. quid ergo respondet diuiti Abraham? memento, fili, quia percepisti bona in vita tua. Nihil bonum putasti, nisi quod in ista vita habuisti. Accepisti bona, sed transierunt dies, & totum perdidisti, & torquendus in Inferis remansisti.

Si ita diuites laudantur, quis non malit esse pauper? qui, ut securiùs coram latrone cantat, quia est vacuus, neque timet spolijs insidiantem; ita expeditiùs currit, per ardua, ad cælum. Et verè S. Bernardus ait: *Cameliu unum solùm pondus habet, diues duo; unum terrenarum possessionum, aliud peccatorum. Primum in morte deponitur, aliud velit nolit moriens retinet, nisi ante mortem deponat.* Immo & primum retinet, quia etiam si diuitiæ morientem deserunt, non deserit tamen pondus diuitiarum. Grauat enim eum, adhuc æs alienum, grauant deposita, grauant doli & fraudes, quibus pecuniam aliasque res proximi interuertit; grauat denique onus restitutionis. Quibus tot ponderibus pressus in infernum submergitur, quasi plumbum in aquis uehementibus. Hoc est enim talentum plumbi, & massa plumbea, quam vidit Zacharias in os mulieris proijci. Aurum enim atque argentum, quod avaritia deuorat, quasi metallum animam grauat. Qua de causa, alibi dicitur: *Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum.* Qui hostem fugit, omne onus, etiam hastam, etiam gladium, etiam scu-

XIV.

Exod. 15. 16.

Zach. 5. 7.

Eccl. 47. 20.

am scu-

Act. 27. 38

am scutum abiecit. In periculosa navigatione, qui cum D. Paulo uehebantur, *satiati cibo alienabant nauem iactantes triticum in mare.* Fugimus capitalem humani generis inimicum: ad caelestem portum nauigamus, surgunt procellæ, periclitamur, & grande naufragium animæ nostræ instat; nec adhuc plumbum diuitiarum, abijcimus, & ire in mare Creticum iubemus? Si sapimus, cum Philosopho, id facimus. Melius est nostra, quam nos perire. Et in via, quæ nobis sunt onerosa, libenter damus alijs portanda. *Superflua*, ait S. Chrysostomus, *quaque amputa. & fac pauperibus supplementum: nam si calceamentis quis supra mensuram pedibus adegerit, itinere certe prolixiore sentiet impedimenta; & vestimentum inueniens corporis staturæ excedens, eodem implicabitur modo. Quòd si superfluum ubiq; inutile est, in pecunia fortius multò; & qui supra quod satis est, habent, non modo in ipsa sufficientia, sed in quibusdam necessarijs impediuntur. Nam qui de foris in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta, viam verò in calum ferentem, & eandem arctam & arduam, tot cum impedimentis, quò modo poteris ambulare? Veloci enim, & expedito cuiquam panis impossibile est consequi salutem. Quemadmodum ergo, qui in altis sunt specibus, à fulmine non feruntur; ita infima fortuna tutissima est: ab auditione mala non timebit. Quæ est auditio mala? quod fulmen illud? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.**

S. Chrys. homil. 7. de peccat.

Psal. 111. 7.
Matth. 25. 41.

CAPVT IX.

Qualis diuitum, qualis pauperum mors esse soleat?

I.



I vlla res est, quæ paupertatem commendat diuitiasque odio dignas facit, mors ea profectò est; nam eam pauperes læti expectant, & sæpe etiam optant; diuites autem horrent, & execrantur, & omnibus modis differre, fugere, fallere conantur: illi enim velut è carcere & vinculis emissi, de calamitate euolant ad libertatem ac gaudia; isti autem à suis delicijs ad metuendum iudicem, per mortem, trahuntur. Hinc illi hinc fame, siti, varijsque ærumnis pressi, memores Lazari illius, clamant: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! itemque: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quid ita? Quia peccatoriosa, in conspectu Domini, mors sanctorum eius.* At verò mors pecca-

Psal. 119. 5.

Rom. 7. 24.

207/100